

Kreis

Warburg

S.110

1235.

Propst Leo und das Kapitel von Helmarshausen bekunden, daß sie gewisse Güter in Etelersen an Kloster Willebadessen verkauft haben.

In nomine sancte et individue trinitatis. Leo divina miseratione prepositus in Hildewardeshusen et totum capitulum eiusdem ecclesie notum esse volumus universis presentibus et futuris, quod nos de communione omnium nostrorum consilio et consensu bona quedam in Ethlersen, que nobis pleno iure contingebant, pensata utilitate sive necessitate nostre ecclesie non segniter, sed provide pro viginti septem marciis vendidimus conventui et ecclesie in Wilbodessem bona iamdicta cum omnibus que attinent, videlicet pascuis, agris, aquis, silvis et hominibus pure ac simpliciter resonantes iuris ordine in omnibus observato. Testes vero huius facti sunt Hartmodus de Geismaria, Lothewicus de Lamerde et Hermannus clericus. Bodo et Iohannes filius suus de Lammerde. Erpo et Hartmannus milites de Ethelersen. Iohannes prior, Hinricus, Bertoldus fratres de Wilbodessem, Iohannes, Engelhardus, Ludolfus, Rotherus, Hinricus, Godescalcus, Hildeboldus et alii quam plures. Ne autem hoc factum nostrum venire possit in irritum auctore scismatis interveniente, presentem paginam sigillo ecclesie nostre fecimus firmiter communiri. Acta sunt hec anno dominice incarnationis M^oCC^oXXXV^o.

Orig. mit einem Siegelfstreifen.

Die Schrift ist fast ganz ausgegangen; nach ungenauer Abschrift 3. Teil gedruckt in W. U. B. IV. nr. 243.

[16]